



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De Prospectione incorporatarum Parochiarum 128

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315



VINTÒ, Quando Liber Reformationis discrimen Clericorum & Monachorum ex Hieronymo ad Heliodorum adduxit, idque solummodò ad indicandum, quòd omnium Clericorum munus & officium sit gregem Christi pascere: Aduersarij continuò id accipiunt, ac reprehendunt, ostendentes, Monachos post tempora Hieronymi, etiam in omnium ordinum Clericos ordinatos fuisse.

Cui tamen Liber non contradixit, sed docuit, sicut in Reformatione Collegiorum demonstratum est, & ab Aduersariorum calumniis infestatum, vt deinceps quicumque in Monasteriis ad Clericatum idonei sunt, ad eum ordinentur & applicentur.

Alioquin admodum infirmum argumentum est, Monachos aliquando Clericos & sacerdotes fuisse, quod Aduersarij post suum Gratianum introducunt, de benedictione danda, item de Lectione Euangelica dicenda cum Collecta. Hæc enim omnia iam dudum Monachus quoque attribuerunt, quas sine dubio non in Sacerdotes ordinabunt. Vides quàm temerè & inconsideratè Christianum nostrum propositum calumniis suis grauent.

Liber Reformationis, vnà cum D. Hieronymo agnoscit Clericos esse, qui iuuant gregem Christi, Christiana doctrina, adimonitione, & disciplina pascere. Ad quod faciendum vtinam omnes Monachi se applicare & accommodare vellent. Verùm qui nunc Monachi vocantur, & eorum propugnatores, nostri Aduersarij, totum Clericatum in nudis ac superuacaneis ceremoniis collocant, & in superstitionis Missam.

De Prospectione incorporatarum Ecclesiarum.

CAP. CXXVIII.



EXTÒ, verbotenus quidem fatentur Aduersarij, æquum & dignum esse, vt Capitulum metropolitanum Ecclesiis Parochialibus eidem Capitulo incorporatis, præficiat Pastores idoneos, quibus & de rebus necessariis ad competentiam prouideat. Modo id aliquando vellent incipere practicari.

Quod vero Liber Reformationis etiam requirit, vt efficiant, quòd in talibus Parochiis omnia lingua vernacula peragantur, secundum Reformationis istius voluntatem, id eorum non esse scribunt, nec posse eos id facere, propter prædictas causas. At vbi sunt istæ causæ, quas hac de re commemorarunt? Et quas causas potest homo prætexere, vt liceat ei agere contra mandatum Domini? Equidem lex Dei est, vt in Ecclesiis Dei sileant, ac penitus nihil loquantur, qui non aliquid vtile ad intellectum auditorum loqui, vel possunt, vel volunt, 1. Cor. 14.